

50, e fu presa : ave 16 di si, uno di no; et eussi fono expediti li oratori di quella comunità, quali si hanno ben portato contra i nimiei.

238 *Io. Stafilei episcopi Sibinicensis Iulii II. Pontificis maximi oratoris, oratio habita ad Dominium Venetum, Venetiis in Collegio die XXVII Decembri M.D.XII.*

Nihil est quod magis expediatur Reipublicae Christianæ, Serenissime Princeps ac patres conscripti, quam pacem colere et a bellis, que inter Christianos civilia et intestina dici possunt, abstinere: quia tempore pacis bene colitur Auctor pacis, qui, proximus passioni, pacem velut locupletissimam haereditatem Apostolis cæterisque fidelibus suis in hac verba dimisit: « *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* » Propterea, haeres Christi non est, qui pacem illius testamento relietet non amat. Et ideo, quemadmodum homines pacifici beati et filii Dei in Evangelio appellantur, ita inquieti, dissensiones ac scandala facentes filii Diaboli juremerito possunt noneupari, qui est sator zizaniæ, pater scandali ac perturbator pacis. Quod exemplo Policarpi sanctissimi martiris eleganter comprobatur, qui cum obviaret Martiano schismatico eidem interroganti: « *Agnoscis ne me, Policarpe?* » Respondit: « *Agnosco primogenitum Sathanæ et filium perditionis.* »

Cicero quoque in *Philippicis* contra hujusmodi homines sic invehitur: « *Nec privatos focos, nec societatem hominum, nec libertatis jura videatur cara habere qui seditiones et scandala delectatur, cumque ex numero hominum ejiciendum et ex terminis humanæ naturæ exterminandum puto. Nihil hoc homine, nihil hoc civi deterius: non aut civis aut homo habendus est cui bellum, præcipue civile, placet.* » Rursus idem Cicero de *Amicitia*: « *Quæ domus tam stabilis, quæ civitas tam firma est quæ odiis et dissensionibus funditus everti non possit?* » Haec modo scandala, has dissensiones seditionesque, haec bella civilia vel potius intestina, non solum misera haec nostra Italia, sed tota fere Respubliea Christiana jam multis patitur annis. Dum Reges et Principes nostri inter se gravissima bella gerunt et cruentissima committunt certamina, spernunt pacem, et suam ac suorum populorum quietem oderunt, caedibus autem, ruinis et incommodis hominum studiosissime delectantur. Sunt qui Christianissimi dici nominarique volunt, et tamen christianissi-

morum nominibus operibusque contradicunt. Dum, non contenti suis amplissimi regnis ac propriis terminis finibusque, aliena longævo tempore parta ac quiete possessa vastant, trahunt ac hostiliter invadunt; hinc subversiones dirreptionesque plurimarum urbium; hinc cædes innumerabilium populorum; hinc uberrima flumina humano cruro flentia; hinc violatio fidei datae; hinc transgressio juris iurandi; hinc contemptus deorum; hinc perfidia plus quam punica. Impletum est temporibus nostris vaticinium illud evangelicum: « *Surget gens contra gentem et regnum adversus regnum et terremotus erunt magni per loca, pestilentiae, et famæ, terroresque de cælo, quæ sunt evidentissima signa et initia malorum.* » Proh dolor! libet hoc loco miserias temporum nostrorum prosequi et calamitates quas hactenus substinximus lamentabiliter enarrare! quot ingenua nobiliaque corpora his bellis ludibrio fuisse! capti episcopi et Sanctæ Romanæ Ecclesiae Cardinales, interfici præsbyteri et diversorum officia clericorum, subversæ ecclesiae, dirupta monasteria, stupratæ sacræ virgines, ad altaria Christi stabulati equi, martirum projectæ reliquæ, et quod horrendum est dictu et auditu, sacratissimum Salvatoris nostri Corpus argenteis præfiosisque pro more vasculis reconditum, prædæ cupiditate in terram collisum, pedibusque calcatum! Deerat extremum malorum omnium, quod nihilominus attentatum est, ac pene confectum. Dirripuerunt Patrimonium Beati Petri, obsederunt hostiliter civitatem Bononiensem, incluserunt oppugnaruntque Vicarium Jesus Christi ibidem cum sua curia residentem, captivumque turpiter abduxissent, nisi Deus Optimus Maximus causæ sue et Ecclesiae in tempore affuisset, qui eosdem oppugnatores sacrilegos et inconsutilem tunicam scindere mollientes momento temporis in ictu oculi in fugam convertit. O Divinam clementiam! o summam benignitatem! permittit fluctuare naviculam, sed eam mergi subvertique non palitur; suscitat validum contrarium ventum, et tamen suis laborantibus fert opem, et porrigit dexteram! Unde, quæso, tam repentina mutatio ut viatores subito vincantur, nisi per dexteram Excelsi? Unde hæc tam insperata victoria, non per humanam virtutem sed ex Divina providentia et pietate? Modo iidem hostes paulo ante divinitus fusi fugati, corde indurato obstinationesque, more Pharaonis in flagellis, rursus tentant irrumpere in Italiam, rursus aliena rapere, et crudeliores cædes quas fecerunt hactenus perpetrare vosque, optimos Patres, cultores pacis et quietis, et bonæ fidei, ut aiunt, possessores in